

Tunc dicet et iis, qui a sinistris erunt : Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum : hospes fui, et non collegistis me : nudus, et non cooperuistis me : infirmus, et in carcere, et non visitastis me. Tunc respondunt ei et ipsi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et sitientem, et hospitem aut nudum aut infirmum, vel in carcere, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis, quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam¹.

Et post aliquantum : Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem².

DE EVANGELIO SECUNDUM MARCUM.

ADVOCANS iterum turbam, dicebat illis : Audite me omnes, et intelligite : Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare ; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum Discipuli ejus parabolam. Et ait illis : Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare ; quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem, et in secessum exit, gurgans omnes escas? Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum exeunt cogitationes malæ, procedunt adulteria, for-

¹ Matth. xxv, 13 et 31-44. — ² Id. xxvi, 41.

nicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant hominem¹.

Et alio loco : Convocata turba cum Discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi, deneget se ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdidit animam suam propter me et Evangelium, salvam eam faciet. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum faciat animæ suæ? Aut quid dabit homo commutationem pro anima sua? Qui enim me confusus fuerit et mea verba in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundet eum in gloria Patris sui cum Angelis suis².

Et alibi : Et accipiens puerum statuit eum in medio eorum, quem cum complexus esset, ait illis : Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit ; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui me misit. *Et paulo post* : Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis ; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur³.

Et post paululum : Habete in vobis salem, et pacem habete inter vos. *Et paulo post* : Et accedentes Pharisæi interrogabant eum, Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum? At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt, Moyses permisit libellum repudiî scribere, et dimittere. Quibus respondens Jesus

¹ Marc. vii, 14-23. — ² Id. viii, 34-38. — ³ Id. ix, 35, 36, 40, 41. et 50.

ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud : ab initio autem creaturæ masculum et foeminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Et in domo iterum Discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et dicit illis : Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. *Et post quatuor versus* : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos. Talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. Et cum egressus esset in viam, præcurrrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum, Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus. Præcepta nosti? Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem¹. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia servavi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum; et dixit illi : Unum tibi deest : vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni sequere me. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens : erat enim habens multas possessiones. Et circumspiciens Jesus, ait Discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Discipuli autem obstupebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis : Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Facilius est camelum

¹ Exod. xx, 13.

per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes ad se ipsos : Et quis potest salvus fieri? Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possible sunt apud Deum. Et cœpit Petrus ei dicere : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Respondens Jesus ait : Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut patrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domus, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. *Et paulo post* : Scitis quia ii qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis; sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister; et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis¹.

Et aliquanto post : Et respondens Jesus, ait eis : Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quicumque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et venient vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem; ut et Pater vester qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra².

Item post aliquantum : Respondens autem Jesus,

¹ Marc. x, 1-45. — ² Id. xi, 22-26.

dixit illis : Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. *Et alio loco* : Et accessit unus de Scribis qui audierat illos conquirentes, et videns quia bene illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. Jesus autem respondit ei : Quia primum omnium mandatum est, Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est. Et, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua : hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est. Et ait illi Scriba : Bene magister in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum : et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine : et diligere proximum tanquam se ipsum, majus est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. *Et paulo post* : Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis : qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipiunt prolixius iudicium. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium : et multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans : et convocans Discipulos, ait illis : Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt ; hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum¹.

¹ Marc. xii, 17 et 28-44.

Et paulo post : Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquimini. Non enim estis vos loquentes, sed Spiritus sanctus. *Et post paululum* : Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. *Et alio in loco* : Videte, vigilate, et orate ; nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. Vigilate ergo ; nescitis enim quando dominus domus veniat ; sero, an media nocte, an galli cantu, an mane : ne cum venerit repente, inveniatur vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate¹.

DE EVANGELIO SECUNDUM LUCAM.

GLORIA in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis².

Et aliquanto post : Et interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid ergo faciemus ? Respondens autem, dicebat illis : Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem et Publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus ? At ille dixit ad eos : Nihil ampliusquam quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos ? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris³.

Et post aliquantum : Beati, pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabi-

¹ Marc. xiii, 11, 13 et 32-37. — ² Luc. ii, 14. — ³ Id. iii, 10-14.

mini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exultate; ecce enim merces vestra multa est in cœlo: secundum enim hæc faciebant Prophetis patres eorum. Verumtamen vœ vobis divitibus; quia habetis consolationem vestram. Vœ vobis qui saturati estis; quia esurietis. Vœ vobis qui ridetis nunc; quia lugebitis, et flebitis. Vœ cum benedixerint vobis omnes homines: secundum hæc faciebant pseudo-prophetis patres eorum. Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt. Benedicite maledicentibus vobis. Orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam, præbe ei et alteram; et ab eo qui aufert tibi vestimentum tuum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et prout vultis ut faciant vobis homines, facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis iis a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerant, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros; benefacite, et mutuum date nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi; quia ipse benignus est super ingratos et malos. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini. Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, reme-

tietur vobis. Dicebat autem illis et similitudinem; Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvas. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia cordis os loquitur, Quid autem vocatis me, Domine, Domine; et non facitis quæ dico? Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere; fundata enim erat super petram. Qui autem audit et non facit, similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna¹.

Et post aliquantum: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus, et cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis. Venit enim Joannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum; et

¹ Luc. vi, 49.

dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator et bibens vinum, amicus Publicanorum et peccatorum. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis¹.

Item post aliquantum: Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam sunt, ii sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, ii sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. Non enim est occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur, et in palam veniat. Videte ergo quomodo audistis. Qui enim habet, dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo².

Et post aliquantum: Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestro-

¹ Luc. vii, 31-35. — ² Id. viii, 11-18.

rum excutite in testimonium super illos. *Item post aliquantum*: Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui fiat? Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. *Et alio loco*: Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendens puerum statuit eum secus se, et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter omnes vos, hic major est. *Et post aliquantum*: Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te, Domine, sed primum permitte mihi renuntiare iis qui domi sunt. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei¹.

Et post paululum: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos

¹ Luc. ix, 1-5, 23-26, 46-48 et 59-62.

sunt; dignus enim est operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quaecumque apponuntur vobis; et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. In quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos, tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati. *Et post paululum*: Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Et post paululum*: Ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum. *Et paulo post*: Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter. *Et post paululum*: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea¹.

Item post paululum: Cum oratis, inquit, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis peccata nostra, si quidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis: Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum

¹ Luc. x, 3-12, 20-27 et 36-43.

media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum: et ille de intus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere et dare tibi. Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens; eo quod amicus ejus sit; propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego vobis dico: Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut pisces, namquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. *Et paulo post*: Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit: Imo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Et paulo post*: Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se: et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium: Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod de foris est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam quod intus est fecit? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Sed vae vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis iudicium et charitatem Dei. Hæc autem oportuit fa-

cere, et illa non omittere. Væ vobis, Pharisei, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non parent, et homines ambulantes supra nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis. At ille ait: Etiam vobis legisperitis væ; quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas¹.

Et alio loco: Attendite a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis. *Et paulo post:* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passereres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus plaris estis. Dico autem vobis, Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur in illo coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, denegabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quæ oporteat dicere. Ait autem ei quidam de turba, Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei, Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem supra vos? Dixitque ad illos, Videte, et cavete ab

¹ Luc. xi, 3-13 et 27-46.

omni avaritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens, Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam, destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea; et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cujus erunt? Sic est omnis qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. Dixitque ad Discipulos suos: Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori, quid vestiamini. Anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum. Considerate cervos, quia non seminant, neque metunt; quibus non est cellarium, neque horreum; et Deus pascit illos: quanto magis vos plaris estis illis? Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie in agro est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis; et nolite in sublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi inquirunt: Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen quærите regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis;

quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester, ibi et cor vestrum erit. *Et post paululum*: Et vos estote parati; quia qua hora non putatis Filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus, Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit servus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire, et cœperit percutere pueros et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari: veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora qua nescit, dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus repetunt ab eo. *Item paulo post*: Hypocritæ, faciem terræ et cœli nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est¹?

Et aliquanto post: Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt².

Et alio loco: Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco; ne forte honoratior te sit invitatus ab eo, et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum; et tunc

¹ Luc. xii, 1-56. — ² Id. xiii, 24.

incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco; ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autem et ei, qui se invitaverat: Cum facis prandium vel cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites; ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos; et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione justorum. *Et paulo post*: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus¹.

Et post aliquantum: Et ego vobis dico, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus

¹ Luc. xiv, 7-14 et 26-33.

est, et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. Audiebant autem hæc omnia Pharisei, qui erant avari; et deridebant illum. Et ait illis, Vos estis qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Et post paucos versus*: Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur¹.

Et post paululum: Impossibile est ut non veniant scandala: vae autem illi, per quem veniunt. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. Attendite vobis, Si peccaverit frater tuus, increpa illum: etsi poenitentiam egerit, dimitte illi. Etsi septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi².

Et alio loco: Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Phariseus, et alter Publicanus: Phariseus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, veluti etiam hic Publicanus: jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vocis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Afferebant autem ad illum

¹ Luc. xvi, 9-18. — ² Id. xvii, 1-4.

et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent Discipuli, increpabant illos. Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, et nolite eos vetare. Talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens, vitam æternam possidebo? Dixit autem Jesus, Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus. Mandata nosti? Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem. Qui ait, Hæc omnia custodivi a juventute mea. Quo audito, Jesus ait ei, Adhuc tibi unum deest: omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est; quia dives erat valde. Videns autem illum Jesus tristem factum, dixit, Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant, Et quis potest salvus fieri? Ait illis, Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ait autem Petrus, Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Qui dixit eis. Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, et non recipiat multa plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam¹.

Et alibi: Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium honorum meorum, Domine, do pauperibus, etsi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum, Quia hodie salus domui huic facta est,

¹ Luc. xviii, 9-30.